

48833.

Oratio

De Incarnatione Filii DEI Domini
nostri

IESV CHRISTI,

Conformata ad exemplar Oratio-
nis Tullianæ pro M. Mar-
cello:

Conscripta & recitata publicè

S I M O N E zum Thale
Rigà Livono, Filio.

Anno Salutis 1632.



RIGÆ LIVONVM,
Excudebat Gerhardus Schröder.

A 5075.15



Viris

Reverendis, Clarissimis, virtute, doctrina & pietate prae-
stantissimis, de Ecclesia DEI benè meritis & ad huc
merentibus

Dn. M. HERMANNO SAMSONIO
Pastori, Superattendenti & S. S Theologiae Pro-
fessori celeberrimo ;

Dn. M. IOHANNI DOLMANNO
Est. A Ecclesiastæ & Inspectori Scholæ
Vigilantissimo :

Handwritten in a purple box:
Faint text: "Faint text" (possibly "Faint text")
Faint text: "Faint text"
9129

Vt &
Viro

Nobili, Spectato, Virtute & Sapientia conspicuo

Dn. MARTINO Wulff /

Hæreditario in Pargam & Bluhmenthal / & S. Regiæ
Majestatis Factori summo ;

Dominis Præceptoribus , Patronis , Fautoribus & Promo-
toribus summo honoris cultu ætatem
colendis

Orationem hanc debita gratitudinis & observantia ergo
Dicat & offert

Autor.

Cum

15

Vm nulla ars neq; disciplina nobis innata sit, sed
exercitatione, & usu crebriori comparanda, & sine eo
nihil quicquam singulari ac præcipua laude dignum ef-
ficere valeam; tum verò maximè dicendi facultas. Si enim nobis
ob oculos ponamus varios rerum artifices, nullos sanè invenie-
mus, qui in re aliqua laudem sine exercitatione invenerint: sic qui
castra sequuntur, qui rem nauticam tractant usu plus, quam cor-
poris viribus ac robore præstant: sic Musica & Arithmetica in
sola exercitatione consistunt. Quæcum ita sint Auditores, tum
certè scribendi dicendiq; exercitatio illis non est negligenda, qui
Oratores aliquando audire volunt. Illa enim exercitatio scri-
bendi & dicendi ad perfectionem nos promovet, ingenia studio-
forum acuit, & vegetiora ac magis perspicacia, & in omnia, quæ
ad judicandum & dicendum proponuntur, intentiora reddit,
quæ alioquin nullo labore ingenioso excitata planè hebescerent
& torpescerent. Et quod Ovidius de reliquis artibus rectè dixit:
solus & artifices qui facit, usus erit, id in eloquentia præcipuè lo-
cum habet. Nemo enim mediocrem facultatem dicendi & scri-
bendi sibi comparabit, nisi usum & assiduam exercitationem ad-
hibuerit. Quare Cicero, cujus natura aliàs ad eloquentiam effi-
cta videbatur de se scribit his verbis: Ipsa illa si qua fuit in me fa-
cultas Orationis, nisi me ad exercitationem retulissèm, exaruis-
set. Hæc timorem Adolescentibus innatum superat, linguam
format, & actionem componit. Quo enim quisq; est Orator
melior, eò ad dicendum timidiùs accedit, quod vel Crassus, vir
magnus apud Ciceronem fatetur, quod in Orationis principio
exalbescat, tota mète atq; omnibus artibus contremiscat. Quod
& ipsi Ciceroni summo dicendi artifice contigisse in aperto est.
Hic enim aliquando propter diem judicii prorogatum, quod ei
de causa obscura & intricata dicendum erat, ita lætatus est, ut
servum id renuntiantem libertate donarit. Si ergo viri magni &

in facultate dicendi maximè exercitati cum summo timore ad dicendum accesserunt, quantò magis Adolescentes trepidabunt, cum se in conspectum doctissimorum virorum inferre incipiunt, quorum doctrina videtur Orationem requirere acriori confectam ingenio, majori elaboratam industria: sed vestra attentio tenuitati meæ benevolentiam favoremq; pollicetur. Merito igitur cum gaudio hoc conventu & hac vestra frequētia nitor, in vestris oculis vultuq; acquiesco: in ea præsertim causa, quæ non tam copiam in dicendo, quam modum postulat. Itaq; ut partim stylum dicendi optimum atq; præstantissimum Magistrum, qui ingenii vigorem ac prudentiam auget, & rectè dicendi facultatem locupletat, exercerem, partim ut gravissimum illud mysterium incarnationis Christi, quod est totius doctrinæ Christianæ caput, & omnium aliorum seminarium, à quo multiplicium curricula sermonum explicantur, & in quod omnia longè lateq; sparsa revolvuntur, accuratiùs contemplerer, constitui hodiè diuturno meo silentio finem afferre, & more Collegii nostri aliquid de eo proferre. Hoc autem solenni festo, quod ad omnes homines spectat, ad infantiam & incunabula Christi parum secedam, & divinæ incarnationis mysterium ea parte considerare incipiam, qua ab homine cognosci potest, hoc est, dicam de singulari mansuetudine, tam inusitata inauditaq; clementia, deq; incredibili sapientia, ac verè divina Patris cælestis, quam in lapsu generis humani declaravit, dum Filium suum misit de cœlo, ut in humani corporis vestit^o compagib^o, & luteo nostræ mortalitatis ergastulo circumclusus, passione & morte sua peccata nostra expiaret. Quod dum facio, Auditores, à vobis summopere contendo, ut mihi benevolas aures concedatis, tenuitatem meam vestro favore & silentio sublevetis, quò mea Oratio his veluti secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit portum faciliùs consequatur. Atq; ut hinc exordiar: Cum initio DEus mirando artificio egregium hoc mundi theatrum condidisset, cœlum astris, terram fructibus ornasset, formavit homi-

nem ad-

nem ad sui imaginem, vera sapientia ac iustitia præditum, quicquid frueretur gaudio & lætitia sempiterna: in factio homine acquievit, homine delectatus est, cum homine se & omnia sua communicavit, ab ipso coli & laudari voluit, itaque etiam arbore scientiæ ipsi interdixit, ut erga se obedientiam testatus, de se colloquendi occasionem haberet. Quid multis? homini omnia aridebant, favebant elementa, ipsæ animantes ejus mandatis parebant. Verùm serpens antiquus, pestis & calamitas generis humani illam DEO voluptatem, homini felicitatem invidit, ingentem malorum lernam in nos derivavit. Pestis hæc Evam, Eva maritum ad arboris vetitæ fructum comedendum impulit: ita unus homo, unum pomum, una transgressio gaudium & vitam omnibus eripuit, tristitiam & mortem intulit, atque iste lapsus verè lapsus sanctitatis, ruina iustitiæ, sapientiæ vastitas, macula virtutum omnium in homine extitit. Nos miseri homines una cum protoplastis nostris de patria nostra carissima, & verissima, nempe Paradiso ejecti fermè desperavimus. Verùm ut huic malo *divina clementia mederetur*, tu sancta DEI progenies ad nodum aliquem aperiendum oculos aperuisti: tu inobedientiam obedientia refarciendam, vitam morte comparandam esse docuisti: perte dulcissima promissio venturi seminis Adamum in tanto timore excepit, diffidentem rebus suis confirmavit, afflictum erexit, perditumque recreavit: nunc ipsis præter omnem opinionem annunciata Evangelii promissione restitutis, salus patriæ nostræ charissimæ conservata ac restituta, ira patris cœlestis sedata, ac æterna nobis requies hujus adventu parta est. Hodie attollitur homo, quia DEUS demittitur, caro extollitur, quia Verbum caro est factum. Hodie Christus factus est filius hominis, ut nos faceret filios DEI: hic ut genus humanum à fero hoste Dæmone captivatum in libertatem vindicet, servi formam assumit: nascitur pauper, ut nos divitiis iisque immortalibus perpetuum augeat: nascitur in caula, ut nos divino suo beneficio aulae cæ-

stis ci-

illis cives efficiat: perpetitur tantillus infans tantam hyemis
favitiam, ut nos in aprico vitæ æternæ fundet. Qui locupletes
alios facit, eget, carnis nostræ paupertatem subit, ut nos illius
divinitate ditescamus. Qui plenus est, evacuatur & exhauritur;
ut plenitudinis ipsius nos participes efficiat. Divinam imagi-
nem accepimus, nec sartam teſtamq; conſervavimus: ille no-
ſtram carnem accipit, ut & imagini ſalutem, & carni immorta-
litate afferat: Secundum conſortium nobiſcum init, & quidem
priori longè admirabilius, dum id, quod præſtantius, nobis im-
partiit: ejus verò, quod deterius eſt, particeps ipſe fit. Intelle-
ximus hoc in multis antehac & maxime in hoc exemplo, te
DEum ter Opt. Max. autoritatem generis humani & ſalutem ac
dignitatem ejus tuis vel doloribus vel moleſtiis quibuſcumq;
anteferre. Cum enim cerneret humanum genus in æternum
ruere exitium, nullamq; creaturam in cœlo aut terra ei ſubvenire
poſſe, miſericordia motus, ab omni æternitate conſilium cepi-
ſti de filio unigenito in hunc mundum mittendo, ut in hac car-
ne aſſumpta deleret noſtra crimina, & morti quoq; acerbiffimè ſe
exponeret, ut nos ab omnibus animæ & corporis periculis con-
ſervaret & ab illis liberaret. Imo hujus adventu in carnem, qui
perierant, ſunt reſtituti, qui à DEo defecerant ad DEum revo-
cantur, viſ peccati comprimitur, aculeus mortis evellitur, po-
teſtas Diaboli frangitur: legis rigor & autoritas diluitur, gratia &
miſericordia per univerſum genus humanum diſfunditur: ipſe
DEi Filius ad hominem deſcendit, ut cum homine copulatus,
DEum pariter cum homine jungat. Hic legis jugum ſubit,
ut qui ſub legis ſervitute erant, libertati reſtitueret. Hic quod
in Adamo perditum erat, retulit, & Evæ maledictionem in be-
nedictionem ſalutarem convertit. Nos per ejus incarnationem
in cœlo ſuper Angelos, dominationes, poteſtates exaltati ſumus.
Capti nos eramus, & ſervituti æternæ addiſti, jam verò per ejus
incarnationē in libertatem ſumus vindicati, & mortis vinculis ac
Diaboli poteſtate erepti, Certè nobis reliquis, qui ad huc in affli-
cta hu-

Et hujus mundi regione superstites sumus hac protoplastorum
restitutione pristina cum iis vitæ consuetudo hætenus interclu-
sa rursus aperitur, & his omnibus ad benè decæli vitæq; æternæ
possessione sperandum quasi signum aliquod tollitur & elevatur.
Nunc pulsis tenebris nova lux accensa est in cordibus nostris;
gratia & misericordia per Jesum Christum exorta est. Nos qui
antè eramus DEi inimici, nunc facti sumus amicissimi: nunc cœ-
lum antè clausum aperitur, nunc Orcus antè apertus clauditur,
mors domatur, potentia Diaboli frangitur, & omnibus salus &
vita annunciat. Veni ergo ad DEum ó homo, sed per homi-
nem, tange creatorem tuum, qui tangi potest, tange obfidem
cœli, salutis tuæ præsidem & autorem. Cum stella curre, cum
Magis dona offer, aurum, tus & Myrrham, ut Regi, ut DEo, &
ut Salutis tuæ causa mortuo: cum pastoribus lauda DEum: cum
Archangelis tripudia: cum Angelis hymnos concine: sit cœle-
stium & terrenarum copiarum communis lætitia & celebritas.
Quid enim auditu mirabilius, quàm quòd ineffabilis DEus, & qui
nec sermonibus explicari potest, nec cogitationibus cõprehendi,
Patriq; per omnia æqualis, per virginis ad nos venit uterum. Ho-
mo quippe ad DEum accessit, DEus à se non recessit, nec homi-
nem consumpsit, sed ita assumpsit, ut nec inferiorem naturam
consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio.
Illi sanè fructum omnes ante actæ in terris vitæ hodierno die
maximum capiunt in cœlo, cum summo consensu sanctorum
Angelorum, tum præterea iudicio S. S. Trinitatis maximo &
gravissimo. O dies fausta! dies magna, die serena, dies finis se-
culi, initium æternitatis, qua æternus DEi Filius humana vesti-
tus carne naturam nostram per originis reatum usq; ad inferos
depressam ad cælestem gloriam traduxit, qua nos ex Adamo in-
feliciter natos, denuo nativitate genuit sua, qua victima pro no-
bis factus est, nosq; perditos homines ex inferno, & veluti Sa-
thanæ faucibus ereptos, in libertatem asservuit, peccatum abo-

levit, reddidit novam lucem, justitiam & vitam æternam. Verè illi sunt fortunati, quorum ex salute non minor penè ad omnes, quàm ad illos ventura sit, lætitia pervenit. Et digni sanè aliquo modo DEi commiseratione & clementia miseri homines fuerunt, qui non tam ex propria mentis destinatione, quam aliena Sathanæ seductione in DEum peccarunt, & quasi bellum luctuosum ac funestum contra eum susceperunt. Cum enim DEus primos parentes in justitia & sanctitate condidisset, eisq; arboris fructu interdixisset, Sathan eos astutia sua decipere sategit, & primùm quidem Evam ad comedendum pomum impulit; hæc à Diabolo decepta marito impertiit, & sic peccatum à primis parentibus impulsu Sathanæ commissum per universum genus humanum diffusum est. Unde patet non omnem culpam in hominibus hæere, sed maximè in Diabolo, qui est omnis mali fons & origo, qui hominem ad comedendū pomum instigavit, quo ipsum in æternum exitium præcipitaret. Quoties eos Angeli, & quanto cum dolore viderunt, cum insolentiam Luciferi seductoris, tum etiam ipsius victoriæ ferocitatem extimescentes. Attenderunt enim miseri cum quanto damno & ruina suarum fortunarum ista seductio & prolapsio in castra Sathanæ conjuncta fuerit. Hunc enim mandati divini contemptum atq; inobedientiam secuta est horribilis naturæ corruptio, ingens caligo in mente, & depravatio omnium virium hominis: quò fit, ut neq; credere in DEum, neq; diligere, neq; timere ipsum possint, sed impliciti rerum terrenarum studio, vivant in summa securitate & contemptu DEi. Hæc naturæ pravitas cum à primis nostris parentibus ad omnes Adæ posteros propagata sit, facit nos reos iræ divinæ, subigit in potestatem Diaboli: opprimit cum aliis calamitatibus innumeris, tum vero morte & pœnis æternis. Sentit igitur totum genus humanum non solum propter vitæ & morum perversitatem reum esse & damnandum, sed etiam naturæ suæ origine vitiosum & immundum esse, hoc est plenum diffidentia & dubitationum de DEo, vacuum timore DEi

re DEi, plenum vitiosissimorum affectuum, subjectum peccato & destinatum supplicio aeterno: amiserunt protoplasti lucem mentis, & tenebras lucrati sunt: voluntatis rectitudine privati sunt, & inclinationem ejus ad mala acceperunt. Cor ante hac arsit DEi amore, jam aversum est à DEO: deniq; sensus omnes fuerunt conformati prius ad legem DEi, jam verò à recta pietatis linea deflexerunt. Nimirum protoplastis nostris hoc malum fuit Pandoræ pixis, unde omnis generis infortunia in hominem eruperunt, ut morbi, paupertas, senectus, mors, damnatio aeterna, dubitationes de DEO, murmuraciones contra DEum, suspiciones malæ. His accedunt, tyrannis, seditiones, luxus, libidines, furta, rapinæ, cædes, prodiones, & omnis generis sceleræ & flagitia. Omnes sumus peccato mortui, neq; quatríduo cum Lazaro tantum, sed ab ipso vitæ exordio in morte jacemus. Quod ergo ipsorum bona paci sunt restituta, quod benignum DEum in cælis sentiunt, quod pristina Spiritus S. dona in illis reflorescere incipiunt, hoc soli tuæ divinæ clementiæ ô DEus est ascribendum. Atq; hic licet videre immensam bonitatem & misericordiam DEi erga miseros homines, quos adeo paternè complexus est cœlestis Pater, ut dum modo à peccatis nos expiatos, & vindicatos ab interitu, restitueret nostræ integritati, & in libertatem asleret, unigenitum Filium JESUM Christum pro nobis impendit, quem nasci hominem de Virgine Maria & acerbissimos cruciatus & fædissimam mortem perferre voluit, ut nos illius preciosissimo sanguine abluti redderemur nova creatura pura ab omni vitiorum contagine, Sancta, justa, placens DEO, ut cum Christo in hæreditatem cœlestis regni veniremus, & cum eo viveremus in æternum. Hodie mors perit, quia vita nascitur, hodie mēdaciū tollitur, quia veritas ostenditur, hodie aufertur error, quia via sternitur; hodie Manna misericordiæ, Manna gratiæ de cœlo pluit, quia ira DEi sedata est: Hodie tenebræ depelluntur, quia lux creatur, qui sedebat in ignorantiæ tenebris mag-

nam scientiæ & cognitionis lucem aspicit. *Vetera transferunt*,
ecce facta sunt omnia nova. *Litera loco cedit, Spiritus superat*,
umbræ prætereunt, veritas ingreditur, qui sine matre erat sine
Patre efficitur. Hodie Christus descendit, ut nos ascendere-
mus, & manens in natura sua factus est particeps naturæ nostræ,
ut nos manentes in natura nostra, efficeremur participes naturæ
suæ. Ex quo profectò quisq; intelligit, quanta in dato benefi-
cio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Admirantur veteres
historiæ Pythagoreum quendam, qui se pro amico in causa capi-
tis vadem dare veritus non est: at hoc quanto admirabilius est,
DEi Filium DEumq; ipsum, ut nos merito nostro inimicos sibi
æternis eriperet suppliciis, tot tam dira, ac vel dictu vel cogitatu
aspera & horribilia sustinere voluisse. O rem omni prædicatione
majorem! Onuncium verè jucundum & amabile! Cum humana
natura primi parentis depressa lapsu pessum tota ferretur, tan-
tam fuisse in Filio DEi clementiam, ut delapsus è cælo huma-
nam formam induere voluerit, ut corporatus ac carne tectus infi-
nitis sese laboribus ac cruciatibus, ærumnis morti deniq; deterrimæ
atq; acerbissimæ exposuerit, quo sudore ac sanguine suo
ab animis nostris durissimū jugum æternæ depelleret servitutis,
ut nos liberali asserreret manu, omnium dominus cum esset, ser-
vi formam assumpsit, nobis quietem suis laboribus, libertatem
sua servitute, vitam deniq; sua morte peperit. Nullius tantum
est flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi vis tantaq; copia,
quæ divinam tuam Majestatem, ejusq; ineffabilem misericordi-
am ac justitiam admirandam, nedicam exornare, sed enarrare
possit: tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua (ò DEus) nul-
lam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam restitutio-
ne generis humani & missione Filii tui in carnem es consecutus.
Hodie quis sine corpore erat, corpus induit, qui aspici non pote-
rat, aspicitur: qui tangi non poterat, tangitur, qui sine tempore
erat, esse incipit; Filius DEi, filius fit hominis: Carnis expers in-
carnatur,

carnatur, Verbum assumit carnem, invisibilis cernitur, intre-
ctabilis contrectatur, temporis nescius principium capit. DEus
esurit, ut nos pascatur; sitit ut nos potu caelesti recreet; crucia-
tur dolore, ut nos lætitia gestiamus, figitur cruce, ut culpam
effugiamus, moritur ut vivamus. Eduxisti nos antea (ô DEus)
ex carcere uteri materni: nunc à laqueis Sathanæ vindicasti, an-
tea donasti nos possessione hujus mundi, nunc caelestis regni hæ-
reditate exornasti. Curasti antea nequid corpora nostra detrimē-
ti caperent: nunc animabus requiem immunitatemq; compara-
sti. Domuisti ab initio mundi gentes immanitate barbaras,
multitudine innumerabiles, locis infinitas, omnium copiarum
genere abundantes: Mundum diluvio suffocasti, Sodomam &
Gomorrhā evertisti, Pharaones, Midianitas, Sennacherib, An-
tiochum, Nicanorem, Holofernem, Herodem, Julianum & alia
hominum monstra subegisti: sed tamen ea vicisti, quæ & natu-
ram & conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla enim est
tanta vis, tanta copia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangi-
q; possit. Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victori-
am temperare, adversarium & refractarium hominem non modo
extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam digni-
tatem; Hæc qui faciat, non eum cum hominibus comparan-
dum, sed DEum verum, qualistu ô Pater caelestis solus es judico.
Quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam
mens, aut cogitatio capere possit, amens sim. Sed tamen sunt
alia majora. Nam has laudes solent quidam extenuare Verbis,
easq; detrahere tibi, communicare cum hominibus, ne propriae
sint DEi. At verò hujus gloriæ ô DEus immortalis, quam ex re-
stitutione generis humani adeptus es, socium habes neminem.
Totum hoc, quantumcunq; est (quod certè maximum est) to-
tum inquam tuæ divinæ clementiæ in acceptis ferendum est, nil
sibi ex ista laude Reges, nil Principes, nil Angeli, nil homines de-
cerpunt. Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna

na in istius societatem gloriæ se non offert, tibi cedit, tuam esse totam & propriam fatetur. O beatum diem! quo Draconis caput frangitur, Behemoth immensum animal ac potens evertitur, mors calcatur ac ejicitur. O beatum diem, quo peccatum tollitur è mundo, peccator tollitur in cœlum, quo cœlum hæcenus clausum: & obseratum Filii DEi incarnatione aperitur. Hunc diem Majores nostri cum gemitu efflagitarunt, cum gaudio futurum sperarunt, cum gratiarum actione celebrarunt. Et licet DEus cunctos dies creavit, singulariter tamen hunc fecisse dicitur, qui Christi Nativitate sacratus est, in quo merito exultare convenit & lætari, quoniam & Diabolus in eo jus perdidit, & salutem mundus accepit. Itaq; tot victoriæ tuæ ô DEus Zebaoth, contra innumerabiles gentes & populorum everfiones celebrabuntur illæ quidem non solum nostris, sed pene omnium gentium literis atq; linguis: neq; ulla unquam ætas de missione Filii tui conticescet, vivit in literis, vivit in linguis. Moses te celebrat quod populum Israel à Pharaonis tyrannide liberaveris: David passim in Psalmis te laudat, quod eum à Goliatho, Saule, Absolone & aliis hostibus eripueris: At verò quod nos salvos esse volueris, & à tyrannide Sathanæ, mortis & inferni absolveris, nobisq; pene mortuis dignitatem reddideris, atq; nostram familiam jam ad paucos redactam ab interitu vindicaveris, quibus laudibus effereamus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? Parietes mi DEus, ut mihi videtur hujus mûdi gestire videntur, quod brevi tempore futura sit ejus perfectio in his suis sedibus. Dies sane fausta, dies beata, dies magna, dies mente nostra major, major omni tempore. Nascitur DEus in terra, DEus homo nascitur, ita ut nec Deitati aliquid decedat, nec humanitati quicquam desit, quam assumpsit. Cesslet omnis sollicitudo, Christus nobis vera securitas advenit. Cesslet omnis infirmitas; hodiè Salvator apparuit. Cessent bella, desinant lites, hodiè pax vera de cœlo descendit. Cesslet omnis amaritudo,
hodie

hodie pertotum mundum melliflui facti sunt cœli. Fugiat mors, quia vita nobis hodie de cœlo data est. Hodie super terram canunt Angeli, lætantur Archangeli, gloriantur Prophetæ, invitantur Sancti, turbantur mali, gratulantur boni, visum cæci recipiunt, auditum surdi, claudi gressum, leprosi mundantur, tristes lætificantur, infirmi sanantur & mortui resuscitantur. Peccavit homo, & factus est reus, natus est homo DEus, ut liberaretur reus. Homo cecidit, sed DEus descendit; Cecidit homo per superbiam, descendit DEus cum gratia. Hodie virtus cum æternitate, Majestas cum debilitate, æternitas cum mortalitate, immutabilitas cum mutabilitate conjungitur. Hic humana cessat ratio, hic flaccescit acies subtilitatis nostræ, hic indocti pariter & docti commiscentur. Judæi offendantur, Græci derideant, hæretici prurigine linguæ afficiantur: Tum credent, cum è cœlo descendentem ac pro tribunali sedentem perspexerint, Cæterum cum tua (ô DEus) recordabere, quomodo tot populos rebelles contudisti, justitiæ tuæ congratulabere. De nobis, quos Filii tui incarnatione tecum simul Salvos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili bonitate, toties de singulari sapientia cogitabis, quæ, non modo summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere. Erant omnes pietatis igniculi in hominum mentibus extincti, & quasi in ipso fomite præfocati. Diabolus homines seducebat, seductos mors occidebat, occisos inferni fauces concludebant, innatum, innatum erat atq; infixum nobis malum illud, ad quod declinandum nulla vis, nullû robur, nulla valebat potestas. Ubique Dæmonum simulachra, Dæmonum aræ, Dæmonum templa, & quod dicere perhorresco, in ipsis excisis atq; DEi altaribus Dæmonum vexilla, trophæa, triumphales arcus fulgebant, terrarum orbis luctuosissima facies, partim fœdissimi lupanaris, in quod omnes omnium libidinum sentinæ defluerant, partim etiam amphitheatri cujusdam ex scelerum colluvione & humano cruore

no crimine macerati speciem præferabant. Plena omnia stupris, cædibus, inquinatissimis voluptatibus, immanitate belluarum. Quid interea clementissimus Parens? Non jaculatur fulmina, non frementi diluvio obruit, non exquisita tormentorum genera ad sceleratorum supplicia machinatur, sed hanc inivit viam, ut Filius ejus tanquam salutaris fulgor ad salutem hominum procurandam terris illabatur, & servi formam assumat, ut nos homines qui in peccatis mortui eramus, Diaboli potestate & morte æterna liberet, & omnia mala à nostris cervicibus averruncet. Hunc igitur diem (ô DEUS) quo nos per incarnationem Filii tui redimere voluisti, tuis maximis & innumerabilibus opibus ac beneficiis jure antepones. Hæc enim res unius est propria DEI, cæteræ duce te gestæ, magnæ illæ quidem sunt, sed tamen per medias personas confectæ. Hujus autem rei tu idem es & dux & comes, quia per Filium, qui tecum unius ejusdemq; potentiæ, opus salutis nostræ perfecisti: quæ quidem tanta est, ut trophæis monumentisq; tuis nulla unquam allatura sit finem ætas. Omnia quidem opera ac manu facta aliquando confici ac consumi vetustate certum est, at verò hæc tua justitia & lenitas florescet quotidie magis: vicisti jam antè Diabolos, quando istos ex cælo in inferni barathrum detrusisti: at hodiè & superasti, & nos omnes miseros ex istorum rabie & sævitia explicasti. Nos ante jure occidissimus, jam verò clementia tua conservati sumus. Rectè igitur unus invictus es, à quo etiam ipsius victoriæ conditio visq; devicta est. Sed ut unde orsa est in eodem terminetur Oratio mea; Maximas tibi omnes gratias agimus Christe JESU generis humani conditor ac restaurator, qui verus justitiæ solexortus tartaream peccatorum nostrorum caliginem dispuleris, diem verè alium reduxeris: qui incomprehensibili tuæ misericordia incomprehensibilia beneficia largitus sis, qui ad opem nobis nostrisq; generi in maximis calamitatibus constituto, ferendam, de cælo descendens in massam & carnem nostram, Majestate tanta

nihil

nihil obstante animū induxeris. Tu ad discutiendam Adami
protoplasti superbiam & restringendam DEi iram infra omnes
homines te abjecisti, te ex arce cæli in hanc lachrimosam exi-
lii nostri vallem demisisti, ut nos facias hæredes cœlestis tui re-
gni. Ex hoc sanè beneficio nos omnes immensum gaudium in
intimis cordis nostri penetralibus sentimus, tibi gratias agimus
quantas animo concipere, lingua proferre possumus maximas,
& precamur per hoc adorandum restorationis nostræ mysteri-
um, per incomparabilem charitatem, ut tu quoq; unus nobis
dulcescas, unus sapias, te uno nos delectemur, te unum admi-
remur & deamemus. Compeſce quoq; furores Sathanæ, qui no-
bis funestam cladem ac interneccionem minatur, & lucem verbi
tui obscurare conatur. Pergè bone Pastor, JESU CHRISTE, perge a-
lere, tueri gregem tuum, ne hostis oves tuas cruento ore abre-
ptas dilaniet. Fac ut apertè hæc doctrina crescat: vigeant Scholæ
& Ecclesiæ hanc doctrinam profitentes: auſcſcat Senatus hujus
urbis amplissimus: majora capiat incrementa hoc Collegium:
virescat hæc urbs: floreat totus orbis Christianus. Deniq;
quia jam superior annus effluxit, novus prodire incepit, renova
animos nostros Spiritus tui radiis, ut abjecta impietate pristina
vitæ novitatem induamus. Quod si ut nunc anni, ita posthac
vitæ nostræ tempus cursum suum absolverit, confirma nos, ut
cum Simeone tua præſentia recreati in animi tranquillitate ob-
dormiscamus, atq; è custodia emissi in æterna vita, quæ verè est
vita, in qua est summa & certa securitas, & secunda tranquillitas,
& tranquilla jucunditas, & jucunda felicitas, & felix æter-
nitas & æterna beatitudo: in illa inquam vita cum
omnibus sanctis natalem tuum sempiterna
laude celebremus. Dixi,

F I N I S.

Simoni Tom Thale

Pietatis, bonarumq̄ artium & partium
studiosissimo Juveni.



Acclamare Tibi, SIMON, Feliciter! ausim:
Euge! peroranti vetus acclamare lubescit,
dum pangis laudes ob semper-Virgine natum
Unigenam JOVA: benè sic exordia ducis:
Laudibus à Domini primordia sumere fas est
Christicolas, si ritè velint sua cedere cæpta.
Cæpta reor cessura Tibi feliciter, orsus
laudibus à Domini es studiorum cæpta Tuorum,
Eja alacris rapias iter hoc: benè cedit opinor.
Sed quid opinor? iter cedit feliciter istud.
Gymnasi florem facile haud marcescere cernes,
Semina Privatis quando arte coluntur in agris-
Vera tibi patrius tribuit fundamenta Ludus
Doctrina, Morum, nec non Pietatis honora:
Cætera Gymnasium, cum JOVA, faustiter addet.
Samsonius præeat patria mera gloria Rige:
Tu præeuntis Heri vestigia pronus adores:
Hic cum Collegis, duce Numine, perficit arsa,
Illa magistra dabit rerum experientia, si quid
defectus fuerit. Dominus Tua prosperet orsa!
Clara saluti feri JOVÆ tuba Valle resultet
hæc! benè sit per Te Temploq̄, Tuisq̄, Tibiq̄!

Boni ominis plenus

SUBCONRECTOR. denroner.